

TONUS XXXXIV.
MISCELLANORUM.

~~G.M.B.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VIITEBERG.
VI-45. —

SIGNAT. CCCXIII.

6 böse:

75

I

THESES
DE PESTE,
NEMPE DE HIS TRIBVS
QVÆSTIONIBVS:

- I. Cur pestis ita sit formidabilis, cum alias *Opacitatem* habeatur, si quis sine diuturnis cruciatis excedat.
- II. Cur pios etiam morbus ille inuadat, cum Scriptura testetur esse vnum ex grauissimis Dei flagellis, quibus mundi impietatem punit.
- III. An pestis tempore aliò fugere, vel secedere deceat Christianum.

DE HIS
S V B P R A E S I D I O
D A N I E L I S T O S S A N I ,
S. Theologiae D. & professoris,

R E S P O N D E B I T ,
volente Deo,

M. Nicolaus Agricola, Basiliensis,
Ad diem 20 Nouemb. In auditorio Theologico.



Heidelbergæ, typis H. Commelini 1596.



CLARISSIMO VIRO,
D. HENRICO SMETIO,
Medicinae D. & Professori, amico &
compatri multum honorando.

GVM his diebus theses hasce meditari inciperem, præstantissime S M E T I, tu statim occurristi, cuius pietatem erga Deum, charitatem erga proximum, & perseverantiam ac constantiam in tua statione, tribus diuersis pestilentiis grassantibus, cognoui: hic Heidelbergæ anno 74, Neustadii anno 82, & nunc rursus Heidelbergæ: cuius etiam pia & suauissima consuetudine totis his annis 23 non sine magna animi voluptate sum usus. Tibi igitur breves has meas de peste theses Theologicas, vir & medice nobilis, dedicare volui, ut publicum aliquid extaret veteris illius & sanctæ nostræ coniunctionis testimonium, & ego has theses tibi inscribens, recordatione eorum, quæ his 23 annis ambo varie experti sumus, (ut est in mundo mira aduersarum & prosperarum rerum, luctus & gaudii vicissitudo) funestis his temporibus, quibus epidemia totum hunc fere Palatinatum infestat, me consolarer. Vale & salue, amice, compater & collegam multum honorande: 12 Nouemb. 96.

Tui studiosiss.

Daniel Toffanus.





THESES DE PESTE.

De prima quæstione:

*Cur pestis tantopere sit formidabilis, cum potius
& Jæværia videatur.*

THESIS PRIMA.



ON otiose quæritur, vnde fiat, quod pestis plærosque ita consternatos reddit, & eam tam misere homines metunt, cum longe melior eorum conditio videatur, qui peste extinguuntur, quam qui lentis & diuturnis morbis conficiuntur, veluti hydrope, nodosa podagra, phtisi, ca'culo, quos subitam & celerem mortem sæpe optare videmus.

II.

*Κρέασον εἰού παξ θεῖν (inquit Æschylus) η τὰς ἀπόδους
ημέρας μάχειν κακῶς: Præstat cito mori, quam totis,
multisque diebus male habere. Et Seneca lib. 2. de be-
neficiis, misericordiæ genus esse scribit, cito occidere:
Sic & de Julio Cæsare refert Suetonius, cum subitam
celeremque mortem sibi optare solitum.*

III.

Quod ipsum inter alia apud se reputasse videtur
Dauid, quando ex flagellis sibi propositis pestem trium
dierum elegit potius, quam septem annorum famme,
vel trium mensium fugam.

IV.

Sed hic reponendum est per distinctionem: non

A 2

omnem videlicet subitam mortem esse & *Gavatianum*, sed
eam quidem, quæ longis cruciatibus & languoribus va-
cat: simul autem homini ad mortem bene præparato
ac mente sibi bene constante contingit.

V.

Nam Ecclesia alias in Litaniiis subitaneam mor-
tem deprecatur: & David sæpe orat, ne ante confectum
suum curriculum, & constitutum regnum abripiatur,
& ex terra viuentium excindatur.

V I.

Psalms. 116.

Apocal. 14.

Licet vero pretiosa sit semper mors piorum in
conspectu Domini, & *Gavatianum* esse in genere, pronun-
ciet Scriptura, *si quis in Domino moriatur, & requiescat a*
laboribus suis: nihil prohibet, quo minus magis in specie
& Gavatia illa esse dicatur, quando aliquis, postquam
diu de Ecclesia, vel Rep. bene meritus est, & velut satur
dierum, tranquille, & sine longis cruciatibus diem su-
um obit, vel quando etiam infantes, aut pueri Deo
consecrati, & a Spiritu sancto sanctificati, quasi com-
pendium nacti, cito euocantur, & placide in piorum
parentum sinu obdormiunt.

V II.

Leuit. 26.
Ierem. 14.
Ezech. 14.

Cæterum, pestis, ut ad quæstionem propositam
respondeamus, hoc nomine formidabilis esse videtur:
1. quod peculiarem horrorem aliquem iræ diuinæ, tan-
quam vnum ex magnis & peculiaribus eius flagellis se-
cum adfert. 2. quod multos simul depascitur, tum
paratos, tum imparatos, & totas familias, vrbes & re-
giones sæpe depopulatur. 3. quod non solum subito
extinguit: verum etiam apud multos tetra symptomata
inducit, veluti grauissimos capitis dolores, deliria,
conuulsiones, quemadmodum in primis accidit in illa
peste Attica, de qua Thucydides lib. 2: & in ea, de qua
Eua-

III

Euagrius lib. 4. cap. 28. Vnde non temere a Propheta
vocatur *pestis noxia, atque vastans.* Et hoc de prima Psalm. 9r.

quæstione.

VIII.

AD ALTERAM QVÆSTIONEM quod attinet: mirantur nulli, & id ipsum suo tempore non paucos commouisse, scribit Cyprianus, quod sagittæ illæ pestis, quas omnipotens & iustus Deus in genushumatum emittit, ad vlciscendum verbi sui contemtum, & in signum certum iræ suæ contra præfractos & sceleratos hominum mores, non minus defixa inueniantur in piis familiis, quam in reliquis; & æque credentes in Christum atque increduliferiantur.

IX.

Hinc profani homines, & imperiti, vel nonnunquam etiam infirmi concludunt, aut pares censi coram Deo omnes homines, & eque omnes ei esse abominabiles, aut fortuito accæco impetu omnia volui: vel causam pestilentiarum in solo aere corrupto, aut humoribus ad corruptionem dispositis quæri debere.

X.

Sed errant illi, ut in thesi, sic etiam in hypothesi. In thesi, sicut errabant amici Iobi, qui nullos homines affligi a Deo contendebant, nisi propter graue aliquod peccatum: & quo grauius affligerentur, eo grauius eos peccasse, & coram Deo magis esse reos.

XI.

Vt maxime autem omnes homines natura sint Deo abominabiles, quatenus omnes peccatores: sunt tamen electis, siue credentibus in Christum omnia peccata condonata. Ideo, cum eos Deus affigit, suas habet causas speciales; ita ut non sint eis illæ calamitates *μω-*
ειας peccati, sed utiles *δοκιμασιας*: & saepe ut opera Dei

manifesta fiant in eis : & sit imbecillitas nostra occasio
Iohan. 9.
2. Corinth. 2. & materia exerendæ eius potentia.

XII.

Neque enim cæco impetu ruit Dominus in poe-
nas: nec fortuito grassantur calamitates, licet causæ na-
turales & mediæ interueniant : sed diuinitus omnia &
ordinantur & temperantur, vt ostendunt loca Leuit.
26, v. 10. Thren. Jerem. 3, v. 37. Amos 3, v. 6.

XIII.

Hypothesis etiam illa falsa est. Pestis est vna ex iis
grauissimis poenis , quas Deus imponit peccatoribus
contumacibus, & præuaricatione magna præuarican-
tibus , (vt loquitur Propheta) Ergo: quicunque ab ea
corripiuntur, sunt tales præuaricatores.

XIV.

Falsa est & hæc hypothesis: Ii, qui habitant in lati-
bulo Altissimi, & quorum Deus est refugium (inquit
Ezech. 14. v.
13. Dauid) liberantur a peste exitiali , & ad eos non appro-
pinquat ylla lues. Ergo, quicunq; ab ea corripiuntur, vel
interimuntur, non habuerunt Deum protectorem.

XV.

Ad priorēm quippe hypothesis respondetur, im-
plicari quidem pios cum impiis publicis calamitatibus
externis, tum quia communī ciuitate huius mundi uti-
mur cum impiis: & contra , impii nobiscum externis
benedictionibus fruuntur: tum quia fragilitatis com-
munis nos decet esse memores , & magnos quoque
næuos ipsi fideles sæpe circumgestant. Nec tam in hac
vita, quam in illa, vult Deus cerni discrimen inter con-
ditionem externam suorum electorum , & filiorum
huius seculi.

XVI. Sed



X V I.

Sed & in modo, & in fine illarum calamitatum magnum est discrimin. In modo, quia hos in mediis calamitatibus sustentat & erigit, vt sit eis semper mens hilaris & secura in Dei præsidio, & nunquam desit consolatio Spiritus S. & certo statuere possint, se non in Dei ira puniri, quam omnem eis placauerit Dei filius. Deinde, in fine: quia sciunt omnia sibi cooperari in bonum: & pestem, quæ ipsis immittitur, in hunc finem mitti, vt moriantur vitiis & mundo, & viuant Christo, quem non dubitant pestem esse mortis, peccati & inferni: piorum vero vitam ac resurrectionem: cuius virtute de peste & morte, & ipsis inferis triumphant.

IV

X V I I.

Vnde fit, vt cum Dauide huiusmodi δοξολογίας usurpent, Benedicite populi Deo nostro, & facite ut resonet Psalm. 66. vox laudis eius, qui restituit animam nostram in vitam, neque permittit dimoueri pedes nostros. Tu quidem nos probasti, Deus, & igne explorasti nos, ut exploratur argentum: Fecisti ut ingressi simus per ignem & aquam: sed tandem eduxisti nos in magnam ubertatem.

X V I I I.

Ergo, nec altera hypothesis subsistit. Non videri eos Deum habere protectorem, ad quorum corpora appropinquet aliqua calamitas: Nam nec est pestis, Dei filiis calamitas, quibus peccatum peste ipsa longe gravius est remissum: vt nec mors eis mors est, sed transitus ad vitam beatam: nec ii soli protegi a Deo dicuntur, qui nil unquam aduersi sentiunt, quandoquidem & Christus, & ipsi Apostoli multa aduersa sensere: sed qui in mediis calamitatibus sustentantur inuicti & illæsi, vt Daniel cum sociis in fornace ardenti, & Israelite in medio mari.

Daniel 3.
Exod. 14.

A 4

XIX.

De tertia
quæstione,
nempe de
Fuga.

TERTIA quoq; QVÆSTIO paucis expedien-
da est, de FUGA, vel ut alii eam mitius nominare ma-
lunt, SECESSIONE tempore pestis: an Christianis
hominibus sit licita, nec ne.

XX.

Et de hac re quidem extant varia doctorū Theo-
logorum, tum Latino, tum Germanico idiomate iudi-
cia: & nostri instituti non est copiose hanc quæstionem
explicare, sed studiosis potius in disputatione sua argu-
menta proponendi, eaq; ventilandi occasionem dare.

XXI.

Sufficiet itaq; paucis sententiam nostram hac de
re aperire, & certas quasdam regulas & obseruationes,
ad faciliorem illius quæstionis decisionem indicare.

XXII.

Pie & prudenter magnus aliquis & disertus no-
stri æui Theologus scribit, tum fidem omnē in Deum,
tum humanitatem & charitatem erga homines exuis-
se videri eos, qui tempore pestis nihil aliud ob oculos
habent, nihilque admittunt præter tria illa trita medi-
corum aduerbia, CITO, LONGE, TARDE: cum
tamen illud Dei omnipotentis flagellum MORVM
potius, quam LOCORVM mutatione sit declinandum.

XXIII.

Interim concors est probatissimorū Theologorū
sententia, non omnem fugam, vel secessionem tempo-
re pestis damnandam esse, propter sequentes rationes.

XXIV.

Prima est physica & medica: morborum epidemi-
orum, & pestis in primis fomitem esse multitudinē ho-
minū, sicut ignis, copiam paleæ, vel lignorū: nec restin-
guifacile huiusmodi morbos, vbi cōfertus est populus.

XXV. Altera

XXV.

Altera est ethica: Naturæ hominis est inditum studium conseruationis sui, & fuga contrariorum, quādo id honeste licet: Nec omnis contemtus mortis est laudabilis, sed sāpe, teste Philosopho, indicium pusillanimitatis, velut in iis, qui mortem sibi consciscunt: Vn- lib. 2. ethic. de illud Martialis in Catonem:

Rebus in aduersis facile est contemnere mortem,

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

XXVI.

Tertia est Theologica, eaque duplex, i. Deus non est tentandus: Tentare autem videtur, qui cum honeste potest, mediis sibia Deo propositis ad declinandum aliquid malum non vtitur: Nam qua prouidentia a Deo immittuntur calamitates, eadem in gratiam vel infirmiorum, vel eorum quos eripere vult e periculis, certa media præparata sunt ad consulendum nobis, vel familiis nostris: vt tempore famis experti sunt Abrahamus, Isaacus & Iacobus: tempore belli Dauid, qui sāpe Saulis insidias declinavit: tempore persecutionis Christi ipse, cum horam suam nondum venisse præuideret: Paulus Apostolus, & alii.

Genes. 12. &

26. & 46.

Iohan. 8.

Act. 9.

XXVII.

Altera ratio Theologica: Charitas Christiana postulat, vt non minus sanorum ratio habeatur, quam ægrotorum, ne illi temere & sine necessitate in discri- men vocentur, vt pueri in primis, infantes, & qui dono fortitudinis, item, dono visitandi ægros, & illis ministrandi non sunt prædicti: imo ob illum metum & inhabilitatem, ægris graues potius esse possent, quam grati, vel vtiles.

XXVIII.

Sed hic certis cautionibus & regulis est opus:

Cautiones.

1 Prima cautio sit hæc: Ut tempore pestis ante o-
minia fiat fuga & secessio a malo ad bonum, siue a vitiis
ad virtutem: a Deo irato, ad Deum propitium.

2 Altera cautio, Ut siue fugis & sedecidis, siue manes,
non fugiat & vagetur animus dissidentia, nec maneras
per securitatem aliquam carnalem: sed statuas, te &
præsentem & absentem esse in manibus Domini, & sub
vmbra alarum ipsius: a quo possis seruari, si manes: & a
quo rursus credas tibi præparatū hospitium, cum cius
sit terra, & plenitudo eius, si alibi te esse volet.

3 Tertia cautio: Sic fugias periculum, ut vocatio-
nem non fugias & deseras: Nam hoc vere esset, *fugere*,
præter casam, (vt est in proverbio) si quis metu periculi
deserat familiam, vel vocationem, quæ astringit ali-
quem ad illum locum, & ita fugiens vnum flagellum,
multa flagella, & indignationem Dei sibi accersat:
Quanquam in vocationibus, (publicis præsertim) sic
distinguunt nonnulli Theologi: illas non posse quidem
simpliciter deseriri: Sed si quis conscius sibi suæ imbecilli-
tatis potest per alium prospicere suæ vocationi, aut ex
consensu collegarum, & eorum, quorum interest, sic se-
cedit, ut ob eius absentiam Ecclesia, vel Resp. nullum
memorabile detrimentum percipiat, id non plane im-
probetur.

4 Quarta cautela. Ne statim quis ob aliquem me-
tum, quo percellitur, existimet se plane ineptum ad
manendum, & opus habere secessione: sed quantum
fieri potest, luctetur prius cum illis formidinibus, & ve-
ra fide, inuocatione, meditatione promissionum diui-
narum se se armet ac corroboret, illud Cypriani apud
Epist. 6. lib. 4. se reputans: *hoc demum esse robur fidei, credere, & scire,*
quod Deus a morte liberare posse, & non cedere.

5 Quinta cautio posset hæc subiici: Non temere fu-
gien-

VI

giendum, quando Deus alibi non monstrat commoda
hospitia, & tutam secessionis occasionem: sed totam
aliquam prouinciam illo flagello pestis exercet: fugere
enim in vicina loca, vel iam infecta vel paulo post infi-
cienda est potius mutare, quam effugere periculum.
Ideo nec Dauid fugit tempore pestis: non solum quia
specialem habebat reuelationem, illam ad breue tem-
pus duraturam; verum etiam, proculdubio, quia pestis
in toto eius regno grassabatur.

2.Sam. 24.

6 Sextam & ultimam hanc cautionem non præter-
mittendam existimamus: impium esse, quando solidi
uites fugiunt, neglectis pauperibus & in confusione &
summa *ἀταξίᾳ* relictis: & multos quoque non ita fugi-
turos, & percusso fore certum est, si tempore pestis non
cerneretur tanra *ἀταξίᾳ*, & non ita, aut a pastoribus, aut
a medicis, & aliis amicis ac vicinis, subsidiisve necessa-
riis desererentur ægroti: quam admonitionem a
piis & prudentibus magistratibus obserua-
ri, illisque incommodis prouideri,
esset operæ pretium.

F I N I S.



Umg. VI 45

ULB Halle
002 379 767



3

s. b.

WNA

THE FLOWERS OF THE EARTH ARE IN SEVEN
WORLDLY SIGHTS: R.

卷之三

ព្រះរាជាណាចក្រកម្ពុជា សាសនា
ព្រះមហាក្សត្រ ព្រះបាដេយោបាយ
ព្រះមហាក្សត្រ ព្រះបាដេយោបាយ

卷之三

Exodus 20:18

1985-1986 學年

Teilung nach Gruppen

ستاد ۲۴۵-۷۱۳ میلادی

City Reg. Office
L. S. G.

1970-1971

This image shows a close-up of a dark, textured surface, possibly a book cover or endpaper. The material has a mottled appearance with various shades of brown, tan, and black, indicating age and wear. There are some lighter, irregular spots and areas of discoloration, particularly towards the edges, giving it a weathered look.

卷之三十一

21.2.18.1510. Gads

卷之三十一

2011-00000000

卷之三

四月廿五日

卷之三

A close-up photograph of a dark, textured surface, likely a rock or mineral sample, showing small, bright, yellowish-orange spots of chrysocolla mineral.

6. *Lutetia*


תְּהִלָּה וְעַמְּדָה

卷之三

— 2 —

Farbkarte #13

B.I.G.



THESES
DE PESTE,
NEMPE DE HIS TRIBVS
QVÆSTIONIBVS:

13

- I. Cur pestis ita sit formidabilis, cum alias *Oracula* habeatur, si quis sine diuturnis cruciatus excedat.
- II. Cur pios etiam morbus ille inuadat, cum Scriptura testetur esse vnum ex grauissimis Dei flagellis, quibus mundi impietatem punit.
- III. An pestis tempore aliò fugere, vel secedere deceat Christianum.

DE HIS
S V B P R A E S I D I O
D A N I E L I S T O S S A N I,
S. Theologiae D. & professoris,

R E S P O N D E B I T,
volente Deo,

M. Nicolaus Agricola, Basiliensis,
Add diem 20 Nouemb. In auditorio Theologico.



Heidelbergæ, typis H. Commelini 1596.

